



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

63. Quòd consuertudo ecclesiastica pro lege tenenda sit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

religionis in domibus propriis tam à parentibus quàm per se mutaverunt, & si postea contra instituta patrum vel præcepta canonum conjugia crediderint copulanda, tamdiu utriusque habeantur à communione suspensi quousque quod illicitè perpetraverunt emendent. Quòd si emendare neglexerint, à communione vel omnium Christianorum convivio in perpetuo sint sequestrati. [*Non extat inter canones Conciliorum Toletanorum.*]

Burchard. lib.
8. c. 48.

Quòd consuetudo ecclesiastica pro lege tenenda est. *Sancti patris nostri Basilij capite xxvii. sermonum ad beatum Amphilochium de Spiritu sancto scriptum.*

LXIII. Ecclesiasticarum institutionum quasdam scripturis, quasdam verò apostolica traditione per successiones in ministerio confirmatas accepimus; quibus par virtus & idem utrisque pietatis effectus quin sit, quotusquisque vel aliquantulum sacrarum expertus scripturarum hæsitaverit. Si enim attentaverimus consuetudines Ecclesiæ non per scripturas à patribus traditas nihili æstimare, quantum religio detrimenti latura sit, dispicientibus liquidò constabit. Quæ enim, ut inde ordiamur, scriptura salutiferæ crucis signaculo fideles docuit insigniri? Quæ multifariam digesta super panem & calicem prolixè orationis & consecrationis verba commendavit? Nam non modò quod in evangelio continetur vel Apostolo in secretis dicimus, sed & alia perplura adicimus magnum quasi unum consummandis accommodantia mysteriis. Quæ orientem ver-

Burchard. lib.
3. c. 127.

422 PRIMA APPEND. REGIN.
suis nos orare litterarum forma præstituit?
Benedicimus fontem baptismatis, oleum un-
ctionis. Huc accedit quòd ter immergimus
quos baptizamus, oleo unguimus, verbis ab-
renuntiare Satanæ & angelis ejus informa-
mus. Unde hæc & alia in hunc modum non
pauca nisi tacita ac mystica traditione à patri-
bus ecclesiastico more reverentiori diligentia
in mysteriis observata silentio quàm publicata
scripto?

Item cap. XXIX.

Basiliius in ep.
ad Amphi-
loch. c. 27. &
29.

LXIV. Deficit me dies si singulas Eccle-
siæ consuetudines explicatum aggrediar. Quid
plura? Ipsam confessionem fidei credendi in
Patrem & Filium & Spiritum sanctum quis
nobis scripto insinuavit, nisi quòd baptismatis
traditionem consequenter fidei pietas imi-
tatur, & ut baptizamur, ita & credimus? Quæ
diebus festis scriptura stantes nos orare præce-
pit, profestis autem non sic? Ergo si tot non
scripto tradita usus Ecclesiæ piè accepta my-
stica observatione custodit, non absurdum
immo apostolicum arbitror etiam non scriptas
traditiones firmiter tenere. *Laudo vos*, inquit
Apostolus, *quòd in omnibus memores mei estis,*
& sicut tradidi vobis traditiones tenetis. Et il-
lud: *Tenetis traditiones quas accepistis sive per*
sermonem sive epistolam. Igitur licet in ore
duorum vel trium testium stet omne verbum,
diversis niti exemplis maluimus, quibus eccle-
siasticæ consuetudinis observantiam à majori-
bus ductam pro lege tenendam persuasibilis
eruditus clarescat,